



zu 005

O. i. 840 (1-101).

THESES
EX MATERIA
DE FINIBVS REGVNDIS.

AD QVAS DIVINA IVVANTE CLE-
MENTIA, PRAESIDIBVS CLARISS. CONSVLTSIS-
simisque viris, D. Ioanne Michaelis Cronenburgh Di-
ctatore, & D. Ioanne Hollandt Fisco, SS. LL. Licent. in
florentissimo apud Coloniam Vbiorum Iuridicæ
facultatis Collegio publicè ref-
pondebit.

GERARDVS HÄN.

*Anno redemptionis humane CIO. ID. XCI.
XI. Iulij.*



COLONIAE AGRIPPINAE Ff
EXCVDEBAT PETRVS KESCHIDT.

CONTINUATIO.

Iudicia, de quibus haecenus, perfecte realia, aut merè personalia, eademq; petitoria fuerunt; nunc de eis, quae diuisoria sunt, & mixtam causam tam in rem, quam in personam obtinent, pertractandum. In his autem actioni finium regundorum prerogatiua ordinis ideo tribuitur, (a) quòd & antiquissima sit, & per eam pax seruetur, rixaq; & arma inter vicinos sopiantur. (b)

(a) in Pandectis quidem, in Codice alius ordo spectatur. (b) ita ferè V Vesemb. in parat. ff. h. t. nu. 1.

THESIS I.

Actione finium regundorum (qua civilis, (a) stricti iuris, (b) mixta, (c) natia, (d) duplex est, (e) quando in ea vnusquisque & actoris & rei partes sustinet, (f) licet is agere dicatur, qui primus ad iudicium prouocat,) (g) inter illos agitur, qui confines agros habent, (h) ad constitutionem nouorum terminorum, conseruationem, vel reparationem antiquorum, vel praestandum interesse. (i)

(a) Oldendorp. cl. 3. act. 14. (b) argum. §. actionum Inst. de act. Sich. in Rub. C. h. t. nu. 5. (c) §. quaedam Inst. d. t. (d) ita cõmuniter Dd. & ibi Ioã. Faber. in d. §. quaedã. Sich. in Rub. C. h. t. nu. 4. Hiero. de Monte Brixiano in tractatu de finib. regundis. contra gl. in l. 1. ff. h. t. quam sequitur Contr. Lagus. in Meth. Iur. Ciuilis. in c. de cõmuni diuidendo (e) l. in trib. cum l. seq. ff. de iudic. (f) l. iudicium 10 ff. h. t. c. ex litteris. de probat. (g) d. l. in trib. 13. ff. de iud. (h) tex. in d. §. quaedam Inst. de act. (i) ita Mynf. & Schneid. in d. §. quaedam.

II.

Habet autem locum in confinio praediorum rusticorum, quamuis adificia interueniãt, in urbanis displicuit. Neque enim confinia haec, sed magis vicina sunt, & ea communibus parietibus plerunq; disterminantur. Et ideo etsi in agris adificia iuncta sint, locus tamen huic actioni non erit. (a)

(a) text. in l. 2. in prin. l. 4. hoc iudicium. & ibi glos. ff. h. t.

III.

Potest tamen in vrbe hortorum latitudo efficere, vt etiam finium regundorum vtiliter agi possit. (a) Item si praedium ex vna parte rusticum, ex altera urbanum, (b) aut loco limitis adificium possum sit. (c) Idem iuris erit, si ad separationem iurisdictionis vel territorij agatur. (d)

(a) l. 4. §. hoc iudicium, in vers. Et in vrbe ff. h. t. V Vesemb. in parat. ff. h. t. nu. 4. (b) secundum glos. in d. §. quaedam, super verbo. confines. Inst. de action. & ibi Schneid. (c) limitis loco dico, non habitandi causa l. 2. & ibi gl. aliter in l. 4. §. hoc iudicium. ff. h. t. vbi directa actio negatur, nisi quando vtrunque limites sunt, & praedia rustica. (d) c. super eo, de paroch. Schneid. & Mynf. d. §. quaedam. Hier. de Monte. cap. 24. & 25. Bald. in l. de modo. ff. h. t.

IIII.

Et non tantum directis praediorum dominis, sed etiã in agris vecligalibus, & inter eos, qui

qui vsumfructum habent, vel fructuarium & dominum proprietatis vicini fundi, & inter eos, qui iure pignoris & bona fide possident competere potest. (a) His accedunt vasallus, prelati Ecclesie, Canonicus prebende, Tutor pupilli nomine possidentes. (b)

(a) l. 4. §. finium regundorum. ff. h. t. (b) Hier. de Monte. c. 28. nu. 1. VVef. in parat. ff. h. t. nu. 5. Schneid. & Mynt. in d. §. quaedam.

V.

Qui verò communem fundum habent, inter eos hoc iudicium non constat. Sed debent communi diuidendo communem fundum diuidere, vel proprium alienare, & sic experiri. (a)

(a) l. 4. §. qui communem ff. h. t.

VI.

Porrò si quis super locis sui iuris, prior de finibus querimoniam detulerit, que proprietatis quaestioni coheret, prius (vt in ceteris realibus iudicijs) (a) super possessione quari solet, (b) quo videlicet modo & loco termini hæctenus sint obseruati & possessi. (c)

(a) l. ordinarij 13. C. l. is qui destinavit ff. de rei vind. (b) l. si quis 3. C. h. t. (c) d. l. 3. C. h. t. VVef. in parat. ff. h. t. nu. 7.

VII.

Et quia vterq; petitoris personam hinc gerit, (a) idè vtrinque documenta & probationes exiguntur, (b) & nisi aduersarius de iure proprietatis docuerit, possessionem iustam si quis probauerit, obtinere debet. (c)

(a) l. iudicium 10. ff. h. t. & in trib. 13. ff. de iud. (b) tex. in c. ex litteris 3. de prob. VVef. in par. num. 7. ff. h. t. (c) l. fin. C. de rei vind. c. in pari. de reg. iur. in sexto. d. c. ex litteris 3. per vulg. l. qui accusare C. de edendo.

VIII.

Sicut in simili, si vtriusque possessionis iura adeo sint obscura, vt difficulter costare possit, vtrius in possessione melior conditio esse debeat, habens titulum non habenti præferetur & vincet. (a)

(a) per c. licet causam, & ibi glo. in verbo. titulum. de probat. Bart. in l. si duo. ff. vti possid. Hier. de Monte, c. 67.

IX.

Cum verò legitimus probandi modus relaxari soleat, vbi propter temporis vetustatem difficilis est probatio, (a) ideo in probandis agrorum & territoriorum finibus maximè antiquis, non admodum exacta probatio sufficit. (b)

(a) ita Bald. in l. conuentulam, C. de episc. & cler. c. tertio loco, de probat. c. illud de præsumpt. (b) per tex. & gl. in c. cum causam de prob.

X.

Qualis est illa, qua per testes de auditu deponentes fit, (a) videlicet quòd semper viderint huius fundi, dioceseos, vel territorij (de quo controuertitur) fines vsque ad talem locum protendi, nunquam verò audiuerint contrarium. (b)

(a) per text. & Canonistas in d. c. cum causam, de prob. Dd. in l. si arbiter ff. de probat. (b) hanc depositionis formulam de auditu probat & præscribit, Mynt. cent. 6. obser. 26. nu. 3.

Hinc

XI.

Hinc & illud diducitur, quod licet regulariter testimonium de auditu & sola fama sine alijs adminiculis non probet; (a) in finalibus tamen controuersis, quae ut plurimum propter vetustatem memoriam hominum excedunt, contra obseruandum, dicendumque esse. (b)

(a) c. tam litteris, de testib. l. solam, & ibi Sichard. qui hanc ruetur C. de testib. (b) per Bald. in c. litteris, de praesumpt. argum. l. in summa. §. Item Labeo ff. de aq. plu. arc. Hier. de Monte. c. 56. num. 3. 4. 5. 6. Mynf. d. cent. 6. obs. 26. num. 6. & 7. facit, c. cum causam, de probation.

XII.

Probantur etiam fines veteribus monumentis; cuiusmodi sunt in territorijs & iurisdictionibus viae regales, flumina, montes, valles & saxa, signaue euidenter apparentia: (a) in agris; fosse, sepes, arbores, lapides notis quibusdam aut litteris insigniti &c. modo si non varietate successionum & arbitrio possessorum, fines additis vel detractis agris postea immutatos probetur. (b)

(a) Hier. de Monte. c. 17. per tot. Paul. de Castro in l. ex hoc iure, nu. 24. ff. de iust. & iur. Mynf. c. 6. obs. 25. (b) l. in finalib. ff. l. successionum 2. C. h. t. Hier. de Monte, d. loco.

XIII.

Qua in re plurimum momenti habent testimonia eorum, qui antea eos fundos possederunt, (a) fama publica circumhabitantium, (b) praesumptio iuris, (c) libri antiqui, ut censuales (d) vel chronici: (e) Instrumenta propter aliud emissa, (f) scriptura in publico archiuo custodita (g) & similia.

(a) l. penul. ff. h. t. l. i. C. h. t. V Vef. in par. ff. h. t. n. 7. (b) c. cum causam, de prob. (c) V Vef. d. loco. (d) d. c. cum causam. (e) Bart. in l. a. n. 22. ff. si cert. pet. Hier. de Monte. c. 62. num. 6. (f) c. cum olim, & ibi Panor. de censib. Costal in l. i. in fine ff. h. t. (g) Abbas in c. cum causam, nu. 1. de probat. Auth. adhuc. C. de fide instrum. Mynf. d. cent. 6. obs. 25. nu. 7. Hier. de Monte. c. 63. nu. 1.

XIV.

Probantur quoque territoriorum, districtuum seu iurisdictionum limites, redituum, gabellarum, census ante litem inchoatam ordinati exactione & solutione, praestatione onerum, priuilegijs antiquis, instrumentis super fidelitate confectis: furcarum erectione, captura delinquentium, multarum, bannorum indictione, custodum impositione, & id genus alijs iurisdictionum exercitijs. (a)

(a) l. in finalib. ff. h. t. c. omnis anima, de censib. Canonistae in c. licet causam 13. de probat. Mynf. d. cent. 6. obs. 25. nu. 8. & seqq. Latè Hier. de Monte, c. 52. nu. 5.

XV.

Hic queri consuevit, an ad probandos vniuersitatis alicuius terminos, eiusdem incola pro ea in testes adhiberi possint? Et communiter placuit, si testimonij dictio illos immediate & principaliter non respiciat, admittendos. (a)

(a) per c. in super. de testib. Sich. n. l. parentes. 5. nu. 5. l. eos testes 4. nu. 4. C. de testib. argum. §. Legatarijs Inst. de testam. ordi. c. tertio loco, de probat. Mynf. cent. 3. obs. 16. Hier. de Monte. c. 58. nu. 2.

Quod



XVI.

Quod si nunc fines istis modis probari, vel non apparentes custodiri, aut alioquin obfucati reparari nequeant, permittitur Iudici veteris obscuritatis amouenda gratia, per aliam regionem novos fines dirigere, per adiudicationem & condemnationem, ex aequo & bono. (a)

(a) §. quaedam. Inst. de action. §. si finium. Inst. de off. iud. tex. in l. 2. §. Iudici ff. h. t. V Vescemb. in par. ff. h. t. nu. 7.

XVII.

Quo casu is, cui alicuius terra portio adiudicatur, inuicem certa pecunia condemnabitur ei, cuius agro aliquid abiudicatum est. (a)

(a) l. 3. ff. h. t. d. §. quaedam. §. finium. Inst. de actio. & off. iud. Mynf. cent. 6. obs. 27. per tot. V Vescemb. in parat. ff. h. t.

XVIII.

Quae ut absque cuiusquam damno, iustiusque procedant, Iudex si ita res exigit, ad loca, de quorum finibus ambigitur, personaliter accedet, (a) aut si per occupationes id non licet, agrimensorem (b) iuratum, (c) sumptibus partium (d) mittet, per quem iubebit partibus ad hoc citatis, (e) aut contumaciter absentibus examinari causam, & per dimensionem, agrorum terminos declarari. (f)

(a) l. si irruptione 8. §. ad iudicium, ff. h. t. c. quia indicante. de prescrip. l. inter Castellianum 44. ff. de recep. arbit. (b) d. l. 8. l. 3. C. h. t. (c) nisi partium consensu aut publica auctoritate ad hoc officium sit destinatus. ita Dd. in l. comparationes §. omnes, C. de fide instr. Bart in l. Theopompus ff. de dote praeg. Mynf. in d. §. quaedam, num. 44. (d) glo. in l. 8. in verb. locis. facit l. 4. ibi qui non conduxit, ff. h. t. (e) l. generaliter, §. penult. C. de iurciuran. Hier. de Monte Brix. cap. 31. nu. 1. Bart in l. qui bona. §. huic stipulationi. n. 2. ff. de dam. infecto. (f) l. 3. C. l. 8. ff. h. t. facit d. l. inter Castellianum.

XIX.

Sic eueniet, ut aliquando non antiqui, sed noui limites obseruari debeant. Nam si Princeps alicui in suo districtu castrum concedat, aut venditor praedium vendat, & in eius concessione, vel venditione maiores, minoresve fines iure dominij (a) designet, hos terminos, quantum ad dominij questionem pertinet, obseruari oportet, quos demonstrauit is, qui castrum concessit, vel praedij dominus fuit. (b)

(a) per l. in re mandata C. mandati. (b) l. in finalib. ff. h. t. l. 1 & 2. C. h. t. l. quod in reru natura. ff. de leg. 1. l. eos terminos ff. h. t. Sich. in l. 2. C. h. t.

XX.

Quemadmodum etiam si appareat irruptione fluminis fines agri confudisse inundationem, ideoque usurpandi quibusdam loca, in quibus ius non habent, occasionem praestitisse, iudex alieno eos abstinere, (a) & domino suum restitui iubebit. (b)

(a) tex. in l. si irruptione 8. ff. h. t. (b) facit l. nam hoc natura ff. de cond. indeb. quilibet enim suo contentus esse debet, l. si constiterit. C. h. t.

XXI.

Sed si quis iudici hoc casu non auscultet, in restituendo quod suum non est, (a) succidenda arbo-

da arbore, vel adificio in sine posito amouendo, partēve eius, (b) iubēte iudice metiri agros passus non fuerit, (c) contra ipsum in litem iurabitur. (d)

(a) iuxta thesin præce l. si irruptione ff. h. t. (b) l. 4. §. sed etsi ff. h. t. (c) §. si finium, vers. contumaciae Inst. de off. iud. (d) gl. in l. 4. §. sed etsi in verbo, condemnabitur ff. h. t. Bart. in l. in actionib. ff. de in litem iur. Mynf. d. §. si finium. Hier. de Monte, c. 69. nu. 3.

XXII.

Præterea si fundo mensurato, vna partium se lasam, & minus, quàm ipsi debebatur, recepisse docuerit, mensuratio iterabitur, (a) actione in factum ex edicto, (b) contra agrimensorem, qui in finium dimensione, & desuper facta relatione dolum, latamve culpam commisit, proposita. (c)

(a) argum. l. vn. C. de err. cal. Schneid. in d. §. quædam. & ibi Angel. Aret. Hier. de Monte, cap. 33. VVef. in parat. ff. si mens. fal. mod. dix. (b) tot. tit. ff. si mens. fal. mod. dix. (c) per tex. & Bart. in l. fin. l. si duob. §. i. & §. seq. & ibi gloss. ff. d. t. l. fin. ff. de var. & extraord. cog. Hier. de Monte, cap. 33. gl. in c. quia indicante. in verbo agrimensoris. de præscript.

XXIII.

In hanc actionem non solum finium constitutio & reparatio, sed etiam, vt dictum, (a) interesse venit. Itaq; & mercedis in agrimensorem impensa, (b) & fructuum ante litem contestatam perceptorum ratio habebitur. Nam ante litem contestatam percepti non omnimodo in hoc iudicium veniunt; aut enim bona fide quis percepit, & lucrari eum oportet, qui consumpsit; aut mala fide, & condici. (c)

(a) thesi. i. (b) l. 4. §. In iudicio ff. h. t. (c) d. l. 4. §. post litem ff. h. t. Hier. de Monte. c. 100. VVef. in par. ff. h. t. nu. 6.

Cumq; liqueat hanc actionem esse mixtam, (a) hinc consequens est, eam in genere (b) non nisi 30. annorum spacio: (c) in finibus verò rerum temporalium Ecclesia 40. annis extingui. (d)

(a) thesi. i. §. quædam Inst. de action. (b) hoc ideo, quia si quis cum titulo & bona fide possidet 10. vel 20. annis quasi per indirectum præscribit. l. 2. §. si fundus l. qui fundum. §. i. ff. de vsuc. pro empt. (c) l. fin. C. h. t. l. hæreditatem, C. de pet. hæred. (d) c. quia indicante, de præscript. Hier. de Monte, c. 75.

XXV.

Fines autem parochiarum, diocesum, regnorum, ducatum, Prouinciarum, Plebanatum & c. si euidentissimis signis vel rationibus appareat eos olim esse assignatos & positos, non præscribuntur, (a) ac ne immemoriali quidem tempore. (b)

(a) c. super eo. de paroch. (b) d. c. super eo. Costal. in l. i. in fine ff. h. t. argum. l. agros. C. de fundis limit. lib. 11. c. quicumque 16. q. 3. Mynf. cent. 6. obs. 23.

XXVI.

Præter hanc actionem, de qua hucusque, etiam alia iuris remedia prodita sunt, quibus finium distinctio aptè munitur. Nam primò, qui post litem contestatam nõ expectata iudicis sententia partem fundi litigiosi & alieni occupauerit, non solum in id, quod malè petebat, condemnabitur, sed etiam tantum agri modum, quantum adimere tentauit amittet. (a)

(a) vt vnusquisque discat suo contentus esse, & ab alienis mentes, oculos, manusque abstinere, l. si constiterit, C. h. t.

Deinde

XXVII.

Deinde L. Agraria, quam C. Caesar tulit aduersus eos, qui terminos statutos extra suū gradum, finesve mouerunt dolo malo, pecuniaria poena constituta est. In singulos enim terminos, quos eiecerint, locove mouerint, 50. aureos in fiscum conferre iubentur, (a) non parti applicare. (b)

(a) l. fin. ff. de ter. moto. (b) vt nonnulli arbitrantur, inter quos Schneid. in d. §. quædā. Nam hæc actio popularis est, ideoque poena in fiscum confertur per doctrinam Bart. in l. 1. nu. 9. ff. de pub. iud. quanquam idem in hac sententia. in l. fin. ff. de ter. moto sibi contrahitur. Hier. de Monte, c. 36. nu. 4. per tex. in d. l. fin. ibi in publico. &c.

XXVIII.

Tertio, criminali iudicio obnoxij sunt, qui scientes, & pessimo exemplo limites finium caussa positos protulerunt. Horum enim improbitas pro delicti & admittentium qualitate, corporali coërcitione, puta relegationis, verberum seu fustigationis &c. expiatur. (a)

(a) l. 1. & 2. ff. de ter. moto. Sic in Rub. C. h. t. VVesemb. in parat. ff. h. t.

XXIX.

In his tamen iure receptum est, accusationem ciuile finium iudicium, & contra non perimere. Alterutro tamen pendente, æquum est alterum ad finem vsq; prioris differri, (a) vt sic quoque Iudex, qui de crimine cognoscit, etiam de finibus ciuilitè cognoscere possit. (b)

(a) ita VVesemb. in parat. ff. h. t. gl. in l. 4. §. si dicantur. in verbo. de crimine. ff. h. t. l. vni. ca. C. quando ciuilis actio. crim. præiud. (b) l. 4. §. si dicantur ff. h. t.

COROLLARIA.

I.

A pud nos Germanos de consuetudine raro vsu venit, quòd in finiam regundorum quaestione iudicarius processus seruetur, sed mittuntur iurati agrimensores, qui auditis coràm litigantibus metiuntur agros, & considerant terminos turbatos, quorumq; sic dimensione, & relatione partes stare, & litem sopire consueuerunt. (a)

(a) Zasius in saepe d. §. quædam. nu. 33.

II.

Fieri tamen potest, si incidunt controuersie inter nobiles, Comites, Monasteria, Vniuersitates, seu Collegia, Plebanatus, &c. quòd super finibus iudicialiter procedatur & agatur.

Idem Zas. d. loco.

153255

AB: 153255

(X2203998)

K



De legibus et constitutionibus Imperatorum Romanorum



Inches
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13




THESES
 MATERIA
 VS REGVNDIS.

INA IVVANTE CLE-
 BVVS CLARISS. CONSVLTSIS-
 ne Michaelis Cronenburgh Di-
 lollandt Fisco, SS. LL. Licent. in
 Coloniam Vbiorum Iuridica
 Collegio publicè res-
 pondebit.

ORDVS HÄN.

*nis humane CI. D. I. C. I. C. I.
 X I. Iulij.*



NIAE AGRIPPINAE Ff
 T PETRVS KESCHIDT.

29

